



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 6. Vtrum pueri obligentur hoc præcepto annuæ confeßionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Hic statim
tenetur con-
fiteri.

Soto loco citato. dist. 18. q. 1. art. 4. Nauarrus cap. 21. num. 45. & alij passim. Ratio est, Quia Ecclesia præscribit tempus annuum, non vt proprium onus anni, vt expleto anno obligatio extingueretur, sed ne vltra annum differretur confessio; sicut determinari solet tempus in solutionibus debitorum, vt supra dictum est in Eucharistia; quod hic etiam eo magis locum habet, quòd confessio non adstringatur tempori Paschali, sicut communicatio, sed per totum annum spatium possit impleri. Confirmatur ex verbis Concilij Lateranensis, *Omnis vtriusque sexus omnia peccata sua confiteatur saltem semel in anno*: quasi dicat, *Non differat vltra annum*; præscribit enim frequentiam seruandam in vsu huius Sacramenti: ergo quo magis differtur, eo magis virget præceptum.

Peccat con-
tinuò, ni fo-
gerit.

Dices: Ergo iste continuò peccat anno expleto: Nam præceptum negatiuum semper virget.

Respondeo, Verù esse, quod peccat continuò, quando habet opportunitatem, & omittit: Nam est in continuà omissione actuali, & voluntarià. Interrumpitur tamen hoc peccatum per somnum, per inaduertentiam, & per defectum opportunitatis; sicut detentio rei aliena; vt dictum est de furto, lib. 2. de Iustitia & Iure cap. 12. dub. 3. Secùs est de festis diebus, ieiunijs, & precibus Horarijs, quæ sic adstringuntur certo tempori, vt sint velut proprium onus, aut cultus illius temporis; vnde transacto tempore expirat obligatio.

Quidam
contrariù
tenent.

Aduerte tamen, Siluestrum verbo *Eucharistia*, num. 3. §. 15. & *Confessio*. 1. §. 3. & quosdam alios existimare, posse differri confessionem vsque ad sequens Pascha; quorum sententia non videtur satis probabilis. Minus probabile est de Eucharistia, vt supra dictum est, quæst. 80. art. 11. dub. 2. num. 34.

27
Ritè nunc
confessus,
potest obli-
tum morta-
le differre
in alterum
annum.

Dico Secundo: Qui ritè confessus recordatur postea alicuius peccati mortiferi, non tenetur illud confiteri ante sequentem annum. Probatur, quia iam præcepto Ecclesiæ satisfecit. Si verò nondum communicauit, tenetur ratione communionis, vt etiam supra dictum est de Eucharistia, q. 80. art. 11. dub. 2. num. 34.

DVBIVM V.

Virum qui probabiliter putat se tempore debito non habiturum Confessorem, teneatur tempus præuenire?

28
Conclio
est affir-
mans.

Respondeo cum Melchioro Cano relect. 5. de Pœnitentia, Teneri. Sicut in die festo qui videt se post horam nonam impeditum iri, vel non futurum sacrum, tenetur præuenire. Ratio est, Quia Ecclesia præscripsit tempus annuum, ne vltèriùs differatur, obligans vnumquemque vt intra annum confiteatur.

Dices: Ergo qui videt se impediendum à lectione Horarum, tenetur præuenire eodem die.

Respondeo, Cùm eodem Cano, si illud impedimentum prouenturum sit à natura, vel à coactione, non tenetur præuenire. Ratio est, Quia quòd liceat præuenire tempus debitum, v.g. pridie recitare Matutinum & Laudes, & mane dicere Nonam: vel Vesperas, est priuilegium, quo priuilegium non tenemur tunc vt. At non est priuilegium posse statim confiteri. Secùs est, si impedimentum sit voluntarium; tunc enim teneris præuenire;

alioqui censeris voluntariè omittere horas, scilicet in Causa.

DVBIVM VI.

Virum pueri obligentur hoc præcepto annuæ confessionis?

Respondeo & Dico Primò: Omnino obligari, si peccat mortiferè: vt patet ex verbis Concilij Tridentini: *Cum, inquit, ad annos discretionis peruenerint*. Hoc autem in quibusdam est septimo vel octauo ætatis anno; in alijs serius, nono vel decimo. Ad Communionem verò plures requiruntur anni, vt duodecim, vel plures. Nam vt rectè notat Canus parte 5. loco citato, non simul peruenitur ad vsu rationis in omnibus rebus, sed priùs in ijs quæ sunt sensibus accommodatiora, & generaliora. Vnde priùs potest puer distinguere inter peccatum magnum & paruam, quàm inter cibum sacrum & profanum, & quàm possit istud Sacramentum dignè æstimare, & latentem diuinitatem apprehendere. Acedit, quòd ad hoc Sacramentum requiratur maior deuotio, quàm ad Sacramentum Pœnitentiæ.

29
Pueri mor-
tiferè pec-
cantes obli-
gantur ad
confessionem

Dico Secundo: Tamen ante annos pubertatis non incurrunt pueri penam excommunicationis, quæ in non confitentibus singulis annis in plerisque diocæsisbus est constituta. Ratio est, quia Prælati non intendunt eos huiusmodi pœnâ inuoluere, vt consuetudo declarat.

Non tamè
obligantur
ad commu-
nicationem.

Aduerte tamen, verum non esse, pueros ante annos pubertatis non posse vllas censuras incurrere. Nam Concilium Trid. sess. 25. cap. 5. de Reformatione, excommunicat eos, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, si septa monialium ingredientur. Vbi manifestum est pueros etiam comprehendi. Quare, nisi lex vel consuetudo eos excipiat, censuras incurrunt.

30
Impubes
non confes-
si, non in-
currunt ex-
communicati-
onem.

DVBIVM VII.

Virum is, qui solum habet Venialia, teneatur singulis annis confiteri?

D. Bonaventura d. 17. & Richardus ibidem, affirmant; idque propter tenorem præcepti quod habet, *Omnia peccata esse confitenda*.

31
Quidam
affirmant.

Respondeo & Dico Primò, Eum qui solum habet venialia, non teneri singulis annis confiteri. Est communis aliorum Doctorum. Probatur Primò, Quia præceptum Ecclesiæ solum determinat tempus obseruationis præcepti diuini: atqui præceptum diuinum non obligat ad confessionem venialium: ergo nec præceptum Ecclesiæ. Ita Cajetanus q. 1. de Confessione. Secundo: Quia quando Ecclesia iubet omnia peccata confiteri, vel intelligit sola mortifera, & sic habemus intentum: vel mortifera & venialia, & sic qui confitetur mortifera, tenebitur etiam addere venialia, quod nemo vnquam dixit. Tertio: Nemo potest confiteri omnia venialia: ergo solum loquitur de mortiferis. Quod confirmatur ex grauissima pœna, quam subiugit: *Alioquin, inquit, & viuens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus Ecclesiasticâ careat sepultura*. Denique, quia Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. expressè dicit, venialia taceri citra culpam posse.

Dico